

An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?

✠ Lécctio sancti Evangélii
secúndum Matthæum

20, 1-16

In illo témpore:
Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc:

- ¹ «Símile est regnum cælórum
hómini patri famílias,
qui éxiit primo mane
condúcere operários in víneam suam;
- ² conventióne autem facta cum operáriis
ex denário diúrno,
misit eos in víneam suam.
- ³ Et egréssus circa horam tértiam
vidit álios stantes in foro otíosos
- ⁴ et illis dixit:
“Ite et vos in víneam;
et, quod iustum fúerit, dabo vobis”.
- ⁵ Illi autem abiérunt.
Iterum autem éxiit circa sextam et nonam horam
et fecit simíliter.
- ⁶ Circa undécimam vero éxiit et invénit álios stántes
et dicit illis:
“Quid hic statis tota die otíosi?”.
- ⁷ Dicunt ei:
“Quia nemo nos condúxit”.
Dicit illis:
“Ite et vos in víneam”.
- ⁸ Cum sero autem factum esset,
dicit dómínus víneæ procuratóri suo:
“Voca operários et redde illis mercédem
incípiens a novíssimis usque ad primos”.

- ⁹ Et cum venissent,
qui circa undécimam horam vénerant,
accepérunt sínguli denárium.
- ¹⁰ Veniéntes autem primi
arbitráti sunt
quod plus essent acceptúri;
accepérunt autem et ipsi sínguli denárium.
- ¹¹ Accipiéntes autem
murmurábant advérsus patrem famílias
- ¹² dicéntes:
“Hi novíssimi una hora fecérunt,
et pares illos nobis fecísti,
qui portávimus pondus diéi et æstum!”.
- ¹³ At ille respóndens uni eórum dixit:
“Amíce,
non fácio tibi iniúriam;
nonne ex denário convenísti mecum?
- ¹⁴ Tolle, quod tuum est, et vade;
volo autem et huic novíssimo
dare sicut et tibi.
- ¹⁵ Aut non licet mihi, quod volo, fácere de meis?
An óculus tuus nequam est,
quia ego bonus sum?”.
- ¹⁶ Sic erunt novíssimi primi,
et primi novíssimi».

Verbum Dómini.